



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Vita B. Francisci Xaverii**

**Torsellini, Orazio**

**Coloniae Agrippinae, 1610**

X. Dei caritas & proximorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42323**

## CAPVT X.

*Dei caritas & proximorum.*

**P**AR tantæ fortitudini, Dei hominum-  
 que caritas fuit. Namque in omni-  
 bus vitæ partibus non alia virtus magis,  
 quam diuini cultus præferendi, homi-  
 numque conseruandorum eminent stu-  
 dium. Nimirum caritate in Deum tanta  
 flagrauit, quantam existere oportuit in  
 eo, qui, humanis rebus penitus contem-  
 ptis, assidua rerum cælestium commen-  
 tationi deditus foret. Hinc in Deū, sum-  
 mum bonum, munificentissimiq; condi-  
 toris conseruatorisq; sui amorem mens  
 erecta, vel in medijs hominum congres-  
 sibus iucundissimos sermones miscebat  
 cum Deo. Hinc inflammatus ille in Ie-  
 sum Christum, benignissimū Dominum  
 Salvatoremque suum, amor, identidem  
 suauissimum illud ac salutare nomē dul-  
 cissimè vsurpans. Indidem accensa illa  
 martyrij cupiditas, quæ à Turcarum fini-  
 bus exclusa, ad vltimas terrarū oras pro-  
 gressa, ex feris atque immanibus natio-  
 nibus, ex pestilentia, naufragiorum, præ-  
 donumque manifestis periculis martyrij  
 decus quæsiuit millies; vt illi martyrium  
 potius, quam ipse martyrio defuerit. Im-  
 men-

men-



mensa hæc Dei caritas haud disparem in  
 Francisci animo caritatem hominū ac-  
 cenderat, quæ nec cessare unquam illum,  
 nec defatigari patiebatur. Hæc illum v-  
 bique agris, vinctis, miseris quasi ser-  
 uum addixit, contagiosisque morbis in-  
 ter ipsa funera obiecit intrepidum. Hæc  
 ad barbaras efferatasque gentes, vel cum  
 aperto capitis discrimine instituendas  
 impulit; atque apud eas, quamdiu o-  
 pus fuit, retinuit omnium rerum inopia  
 laborantem. Hæc deniq; contemptis ex-  
 æstuantis Oceani fluctibus, piratarū la-  
 trocinijs, incōmodis infinitæ navigatio-  
 nis, ad vltimas vsque gentes perduxit, vt  
 Iapones quoq; Euāgelij penitus ignaros  
 aggregaret Ecclesiæ. Et tamen cum tot  
 iam terras, tot maria emensus, omnibus  
 propè maritimis regionibus Oriētis Eu-  
 angelio iustratis, ad vltimum mundi ter-  
 minum peruenisset, eadem hominū cari-  
 tas eum perpulit, vt Sinarum claustra se-  
 uerissimis legibus & custodijs firmata  
 tentaret, vel cum aperto capitis periculo:  
 adeò inexhausta animorum auiditas ni-  
 hil inuium, nihil metuendum videri si-  
 nebat. Quin etiam tot gentibus ac popu-  
 lis ad Christi fidem adiunctis, ferebat æ-  
 gerrimè prohiberi se Sinarum aditu, vt-  
 pote qui totius Orientis salutem mente

com-



complexus, in primordio suorum operum stare se crederet. Nec dubium, quin si ei contigisset, ut Sinarum expeditioni superstes, Romam, quò ab Ignatio accerseretur, perueniret, Occidenti quoque, depositisque Ecclesiæ partibus, fuerit pariter salutis futurus. Quippe siue Præpositus Generalis, siue Præpositi adiutor, contactas hæresi nationes per socios curandi non prius finem fecisset, quàm illum aut curanda gens, aut vita ipsa deficeret. Incredibile dictu est, quantopere ille fuerit in mortalium salutem intentus. *Proximis Malacæ quidem & alibi confessionibus seruit, cibè audiendis, reconciliandis dissidentibus, & potioribus subleuandis, cæterisque pietatis officinis oblitus assiduam dabat operam; adeò cibi actionis oblitus, ut sæpe biduū triduum-que traduceret ieiunus: sentires eum talibus ministerijs diuinoq; obsequio pasci. Nimirum adeò insitus erat illi hic iuuentorum hominū propagandeq; religionis amor, ut ferè innatus videretur. Huc ille toto impetu ferri, in hoc totus esse, hoc omnibus expetere votis, in hoc maximè acquiescere, ut CHRISTO aggregaret quàm plurimos. Nec minor quærendi ouos greges, quàm tuendi partos curabat. Quippe ita eos præceptis atque institutis instruere erat solitus, ut exter-*



ni pastoris operâ non magnoperè indigerent. Ludouicus quidem Froes, è Societate I E S V, vir iuxtâ prudens ac pius, ita narrabat, se, cùm primùm Iaponem insulam obiret, fortè ad arcem deuenisse in insulæ angulo sitam. ibi tres incolas sibi occurrisse, rogantes quid factum esset Francisco Xauerio. Qua inopinata interrogatione attonitum se primò hæsisse, deinde hæsitando comperisse, apud eos aliquandiu diuersatum esse Xauerium; & plerisque incolarum ad Christi fidem perductis, sacram inibi excitasse ædem: porrò neophytos adeò diligenter ab illo edoctos, vt sine vllò doctore Christiana disciplina cursum teneret suum. Quippe discessurum Xauerium illis in posterum consuluisse, & Christi vitam, summamque Ecclesiasticæ historiæ ipsorum sermone conscriptam; Romanum item Calendarium, cū ratione festorum mobilium; implorationem caelestium, quam Litanias vocamus; septem Psalmos, formamque baptismi eis tradidisse, monitis, vt festis diebus vniuersi pariter conuenirent; in conuentu de Christi vita sacraque historia aliquid audirent; festos dies cognoscerent, superumque ope implorata, septem Psalmos recitarent. Cæterum Ducis scriba ( nisi necessitas aliud sua-



suaderet) baptismo lustraret infantes. Et neophytos, Francisci præceptorum memores, ad eò Christianis rebus instructos extitisse, ut nihil admodum cederent Europæis. Itaque affirmabat Froes, nihil se habuisse quod adderet: sed illud didicisse, Xauerij exemplo ita ubique serendam colendamque religionem, ut per se niti suis ipsa viribus posset. Quanquã Franciscus, quoad eius fieri poterat, neophytos per socios excolere non desistebat. Nec verò Xauerij caritas ita ciuitates gentesque totas adiuuabat, ut singulos negligeret homines, quamuis pertinaces obstinatosque. Ternate decedens, ex maximo Ternatinorum numero dumtaxat reliquerat duos, quibus detrahere nequiterat pellices. Amboinum igitur reuersus (misericordia indignationis locum occupante) literas ad Ternatinum amicum dedit, rogans ut duos illos suis verbis quam bellissimè salutatos commonefaceret, si quando in animum tandem induxissent e flagitiorum cœno emergere, confestim se illuc aduolaturum; interim nunquam cessaturum eorũ salutem Deo communi parente deprecari. Martine verò cum identidem verba faceret ad populum, audiebatur interdum ab Iudæo, erudito illo quidem, sed (quod illius

*Zelus am  
marum.*

*Iudæum  
conuertit.*

A a gentis



*Mira so-  
lertia in  
flectendis  
obstinatis  
in scelere  
homini-  
bus.*

gentis vitium proprium est) peruicaci,  
nec minùs Xauerij irrisore, quàm verita-  
tis. Is vitijs simul & erroribus implicatus  
obstinatè obstabat Euangelio: eiusque  
auctoritas cæteros Iudæos à Christi fide  
deterrebat. Hunc igitur Franciscus omni  
obsequio demulcens, & comiter apud eū  
cœnitans, adeò flexit, vt in contrarium  
mutatus, è pertinaci Iudæo probus ac  
pius fieret Christianus. Hæc porrò pro-  
ximorum caritas haud fortior quàm soler-  
tior fuit. Canonium arx est Lusitano-  
rum, portu celebris, inter Goam & Coci-  
num interiecta. Hunc portum petens ex  
itinere Xauerius, quendam in ipsa nauī  
ad confessionem peccatorum perducere  
frustrà conatus, incepto paulisper desti-  
tit, vt securum ex improviso adoriretur.  
Namque ille cūm vigeretur acrius, vt e-  
rat obstinato ad negandum animo, con-  
firmarat iureiurādo, se nunquam omni-  
no id esse facturum. Franciscus ergo, vbi  
in terram descensum est, statuit in exitiali  
morbo vltima experiri auxilia. Itaque a-  
liud se iam agere simulans, peruicacem  
hominem comiter, per speciē animi rela-  
xandi, in saltum (vt regionis natura fert)  
frequentibus palmis consitū ducit. Vt in  
locum ab arbitris remotum ventum est:  
subitò deposita veste, tergoque nudato,  
pro-



procumbit in genua. mox stupente illo,  
 & quid tandē rerum tanto impetu actu-  
 rus esset expectante; flagrum depromit  
 aculeis ferreis sane asperum, atque in eius  
 conspectu tergum suum strenuē diuer-  
 berās, exclamat se eius causa id quicquid  
 esset supplicij, subire, vt cælestem ab eo  
 auertat iram. Inter hæc palmetum reso-  
 nabat ictibus plagarum aspector ille stu-  
 pens & attonito similis Francisci cruore  
 respergebatur. Ergo admiratione in mi-  
 sericordiam versa, statim ad pedes Xaue-  
 rij prouolutus rogat, alienam culpam  
 suo tergo luere desistat: se paratum esse  
 sua aliquando expiare peccata. Itaque  
 Xauerius victoria lætus, extemplo in-  
 duit vestem; eiusque confessione audita,  
 perditum hominem in vim ac spem salu-  
 tis reducit. In ægra verò ac propè depo-  
 sita Malacensi ciuitate curāda haud pau-  
 lo plus & prudentiæ adhibuit, & indu-  
 striæ. Etenim cū animaduertēret Ma-  
 lacensium animos vsque eò flagitiorum  
 senio ac tabe confectos, vt remedia fun-  
 ditus repudiarent; medicus animorum  
 eximius nouā ac salutarem inijt meden-  
 di rationem. Mira illos dissimulatione  
 adortus, inferebat se militum lasciuien-  
 tum circulis; ludentibus de industria su-  
 perueniebat, se illorum lusibus & con-

*Omnibus  
 omnia fit,  
 vt omnes  
 Christo lu-  
 crifaciat.*



suetudine delectari simulans. Si quis eius  
 interuentu verecundiaque desisteret à lu-  
 su; comiter eum ad vitæ hilaritatem re-  
 uocabat: se quoque talis oblectationis  
 studio teneri; milites utriusque monacho-  
 rum ritu vivere non debere. si nulla in-  
 tercederet iniuria diuini numinis, satius  
 esse ludere ac iocari, quàm detrahere de  
 alijs, aut quidpiam patrare flagitij. Inde  
 conciliatis comitate animis, per omne  
 obsequium in quàm maximè familiarè  
 vsum insinuare se, vt arcanos illorum eli-  
 ceret sensus, morbisque demum per oc-  
 casionem mederetur. Vltro etiã alijs pel-  
 licum amore implicatis ad prandium aut  
 cœnam condicere: super mēsam familia-  
 ri sermone illato, probare apposita fercu-  
 la; de famula, quæ illa tam scitè condi-  
 disse, percontari; rogitare hospitem, vt  
 eam accerferet; collaudatamque deso-  
 lertia in cibus condiendis dimittere: sat  
 habens in præsentia, viam sibi ad desti-  
 nata fecisse. Si cui grauis conuiua futurus  
 erat, ex improviso instabat, vt sibi eius  
 tecta inspicere liceret. Introductus mira  
 comitate deuinciebat hospitem; dissimu-  
 latoque consilio, velut feram vestigans,  
 nullum omittebat angulum, quem non  
 perlustraret oculis. Si in hospitis incidisset  
 pellicem, quanam illa mulier, & cu-  
 rus



ius efflet, sciscitabatur; seque omnia quæ videret, probare simulabat, occasionem rei bene gerendæ captans. Adeo autem omnia omnibus fiebat, ut inter milites miles, inter mercatores mercator esse videretur. Itaque non modò Lusitani, verùm eorum etiam pellices ipsæ, propter singularem eius comitatem, illum hospitem, illum cohuiam expetebant, quid tandem moliretur ignaræ? At Xauerius ubi se totum in illorum insinuarat familiaritatem, tum verò dissimulanter affectis animis mederi aggrediebatur. Si quem nactus erat formosæ ancillæ amore captum, huic mulierem commendare: eam verò, propter egregiam formam atque indolem, dignam quæ pudica foret, dignam quæ honesto alicui nuberet viro. Inde percontari ex hospite, cur, si unquæ illam amaret, cum veriufque dedecore pernicieque concubinam, quam honestè sancteque coniugem, habere mallet. ita mali causa in remedium versa, flagitia mutabat nuptijs. Sin autem mulier deformis erat, rogabat hospitem, satisne sanus esset, qui adeo deformem famulam in delicijs haberet, propter quam in Lusitanorū incurreret sermones, irrisionesque? Quin potiùs se dignam coniugem quaereret? Id illi magno utriusque honori



item ut alijs fuisset (quos nominabat) futurum. Alios porro minus ad nuptias expeditos, quod multarum ancillarum amoribus irretiti tenerentur, alia adorabatur via. Quærebat primum cur tandem domi suæ tantum alerent ancillarum, quæ nullum penè usum haberent alium, nisi ut dominorum salutem ac rem familiarem perderent; domesticum otium contentionibus rixisque turbarent? Quod si omnes dimittere aut non possent, aut nolent, magnoperè monebat, ut certè unam aliquam missam facerent. Inde ad eosdè intermissis aliquot diebus reuersus, amice instabat, ut alteram, deinceps ut reliquas omnes dimitterent, præter unam. Minus quippe inuisos esse Deo, ac facilius veniam impetrare unius mulieris quam multarum amore implicatos. Demum nouam nactus occasionem, urgebat, ut illam ipsam, quam libido sibi reliquam fecerat, dimissam, aut in matrimonium ductam, caelestem aliquando placarent iram. Ita paulatim perditos homines, demptis omnibus peccandi illecebris, ad honestatis salutisque viam reuocabat. Fuit autem hoc proprium ac perpetuum Xauerio, ut facinorosissimi cuiusque familiaritatem ambiret maximè, ratus grauissimis morbis potissimum opus esse medico, medicinæque.



naque. Nec prius eos dimittebat, quam  
 ad sanitatē perduceret mentis. Illud verò  
 summæ semper curæ Francisco fuit, vt  
 suis ac sociorū exemplis omnes ad virtu-  
 tem pietatēq; accenderentur, offende-  
 retur nemo. Nec aliud magis Socijs ali-  
 quò ituris solitus erat inculcare, quam vt  
*providerent bona coram Deo, & omnibus Rom. 1.*  
*hominibus.* Certa etiā hac de re præcepta  
 abeuntibus tradita, identidem per literas  
 in memoriam redigebat. Quòd si quid à *Quanto-*  
 quopiam offensum esset vspiā: adeò an- *pere vita-*  
 gebatur animo, vt in eum quadraret il- *rit scanda-*  
 lud Apostoli: *Quis scandalizatur, & ego lum pro-*  
*non vrer?* Quocirca Gaspari Goani Col- *ximorum.*  
 legij Rectori planè mandauit per literas, *2. Cor. 11.*  
 vt quicumque è Societate offensionē pu-  
 blicè foret, eum dimitteret omnino, di-  
 missumq; nullo modo reciperet: grauiorē  
 famæ Societatis, quam cuiusuis Socij, ia-  
 cturam ratus. In quo illā quotidiano vsu  
 comprobata vsurpabat vocem Apostoli:  
*Modicum fermentum totam massam cor-*  
*rumpit.* Cæterum vbi offensum esset, ibi  
 censebat satisfieri oportere, vt præsens sa-  
 tisfactio offensos sanaret animos. Nec  
 offensis modò, sed etiam infensis, satisfi- *Ædificā-*  
 ciendum putabat. Cocini cùm sodales *tionis pro-*  
 quosdā, qui Societati IESV templū con- *ximorum*  
 cesserant, Patribus infestiores esse cog- *cura.*



nouisset; ipsemet maxima honestissimorum hominum frequentiam prostratus, claves templi ante eorum posuit pedes: eaque demissione infensos animos penitus mitigauit. Illud autem habebat in ore, se, quicquid diuitiarum, quicquid opum esset in terris, bono Societatis nomini posthabere: utique cum Deus pijs hominibus sua commoda præ communi religionis existimatione contemnētibus, meliores diuturnioresque redderet opes, quam quibus sui iuris atque utilitatis retinentes cum existimationis detrimento iacturaque fruerebantur. Quocirca literis ad socios datis, illud solitus erat adscribere, sibi modicum fructum sine offensione, quam ingentem cum aliqua offensione, esse potiore. Exiguam quippe segetem animorum sine offensionibus, velut sine noxijs herbis, crescere ac permanere: at quamuis magnam sementem offensionibus, quasi inimicis herbis, oppressam extenuari & euanescere. Atque hæc multo etiam impensius seruabat ipse, quam alijs præcipiebat, exemplis utique quam præceptis clarior.